Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2191

Quelle:
Copyright:

ſis quinque plagis inſignita, *fol.* 135. iterum Deipara una cum Prole facie nigra et inſcripta: *Notre Dame Du Pui En Auvergne. Podium Velavorum* ſeu *Velaunorum* (Puy en Velay) vulgo *Alverniae* tribuitur, quamvis ad *Occitaniam* pertineat. Imago haec tota Gallia claruit. *Fol.* 144. ſequuntur Pſalmi dicti de Poenitentia adhaerentibus Litaniis OO. SS. in quibus praeter jam *Calendario* inſertos Indigetes *Tullenſes* etiam *Libaria* invocatur. *Fol.* 160. Officium pro Defunctis, et a *fol.* 193. rurſus Preces ad varios Sanctos, quorum chorum ducit paucis notus et habitu loricati Militis depictus *Bernardus* Marchio *Badenſis*, cujus *Commemorationem* adſcribam: *Du beau Bernard.* Antiph. *O quanta uenerationе eſt dignus beatus bernardus marchio badenſis quia terrenas uanitates ſpernens in celo triumphum habere promeruit.* Verſ. *Propter ueritatem et manſuetudinem et iuſticiam deduxit te mirabiliter chriſti dextera.* Reſp. *Quia ex hoc ad celeſtia regna te collocauit.* Orat. *Omnipotens ſempiterne deus qui in beatum bernardum marchionem badenſem per donum ſancti ſpiritus tantam gratiam infundere dignatus es ut quicumque ad eum confidenter recurrit ſalubre remedium u te obtinet tribue nobis queſumus indignis famulis tuis ut qui eius in hoc neceſſitatis articulo imploramus ſuffragium ſua benigna interceſſione apud te opportunum conſequi mereamur remedium. Per Chriſtum D. n.* &c. Fuit hic Primogenitus *Jacobi* I. Marchionis a. 1453. defuncti, ſed ſpretis *Magdalenae Caroli VII. Galli* Filiae nuptiis, et jure ſucceſſionis in *Carolum* fratrem translato iter ingreſſus in *Italiam* obiit a. 1459. ſepultus in *Monte Calerio Pedemontii*, ſignis, ut fertur, clarus et a *Sixto* IV. 1480. in Divos relatus, quamvis *Ciaconius*, ejusque Subpletores hac de re in *Vita Sixti* nil meminerint. Conjicere licet, in hunc Precum Librum ideo inſertum fuiſſe *Bernardum*, quod matrem habuerit e Domo *Lotharingica Catharinam Caroli Audacis* Filiam. *Fol.* 202. ad *Orationem uenerabilis Bede presbiteri de ſeptem ultimis uerbis domini* eleganter adpictus eſt *Beda* ſcribendo occupatus. De Pictore in univerſum noto, eum formis omnibus ſenilibus barbam, capillosque caeruleſcentes, juvenilibus aureos tribuiſſe.

DCCCCXX.

Codex membraneus lat. gall. R. 1409 Sec. XV. Folior. 49. 8. charactere atro, craſſo ſcriptus, literis initiorum deauratis, et picturatis, Iconibusque XXIV. varias V. et N. T. Sanctorumque Hiſtorias repraeſentantibus ornatus, Precatorius eſt, primoque loco continet *Heures de la conception noſtre dame*, quae tamen latinae ſunt, et in quibus Hora *Sexta* adpellatur *A midy*. Sequuntur gallice *Les VII. doleurs de la vierge marie* cum Prologo *en forme doroiſon pour impetrer compaſſion dicel-*